

Amplius¹⁶ etiam sub conditione creditorem tuendum *putabat* adversus eum, qui postea quicquam deberi cœperit, si modo non ea conditio sit, quæ invito debitore impleri non possit. — § 2. Sed et si heres ob [ea] legata, quæ sub conditione data erant, de pignore rei suæ convenisset, et postea eadem ipsa pignora ob pecuniam creditam pignori dedit, ac post conditio legatorum exstitit, hic quoque tuendum eum, cui prius pignus datum esset, *existimavit*. — § 3. Titia prædium alienum Titio pignori dedit, post Mævio: deinde domina ejus pignoris facta, marito suo in dotem æstimatum dedit: si Titio soluta sit pecunia, non ideo magis Mævii pignus convalescere placebat: tunc enim, priore dimisso, sequens confirmatur pignus, cum res in bonis debitoris invenitur: in proposito autem maritus emptoris¹⁷ loco est: atque ideo, quia neque tunc cum Mævio obligaretur, neque cum Titio solveretur, in bonis mulieris fuerit, nullum tempus inveniri, quo pignus Mævii convalescere possit: hæc tamen ita, si bona fide in dotem æstimatum prædium maritus accepit, id est, si ignoravit Mævio obligatum esse.

10. ULPIANUS, lib. 4 Responsorum.

Si et jure judicatum, et pignus in causa iudicati ex auctoritate ejus qui jubere potuit, captum est, privilegiis temporis fore potiorum heredem ejus, in cuius persona pignus constitutum est.

11. GAIUS, lib. singul. de Formula hypothecaria.

Potior est in pignore, qui prius¹⁸ credidit pecuniam, et accepit hypothecam, quamvis cum alio ante convenerat, *ut, si ab eo pecuniam accepit, sit res obligata*: licet ab hoc postea accepit: poterat¹⁹ enim, licet ante convenit, non accipere ab eo pecuniam. — § 1. *Videamus*, an idem dicendum sit, si, sub conditione²⁰ stipulatione facta, hypotheca data sit, qua pendente alius credidit pure, et accepit eandem hypothecam, tunc deinde prioris stipulationis existat conditio, ut potior sit, qui postea credidisset? Sed vereor, num hic aliud sit dicendum: cum enim semel conditio exstitit, perinde habetur, ac si illo tempore quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset: quod et melius est. — § 2. Si colonus venit, *ut inducta in fundum, illata, ibi nata, pignori essent*, et antequam inducat, alii rem hypothecæ nomine obligaverit, tunc deinde eam in fundum induxerit, potior erit, qui specialiter pure accepit: quia non ex conventionem priori obligatur, sed²¹ ex eo, quod inducta res est: quod posterius factum est. — § 3. Si de *futura*²² re convenerit, ut hypothecæ sit, sicuti est de partu: hoc *queritur*, an ancilla conventionis tempore in²³ bonis fuit debitoris et in fructibus? Si convenit ut sint pignori: æque queritur, an fundus, vel jus utendi fruendi conventionis tempore fuerit debitoris? — § 4. Si paratus²⁴ est posterior creditor priori creditori solvere, quod ei debetur, videndum est, an competat ei hypothecaria actio, nolente priore creditore pecuniam accipere? Et dicimus, priori creditori inutilem esse actionem, cum per²⁵ eum fiat, ne ei pecunia solvatur.

12. MARCIANUS, lib. singulari, ad Formulam hypothecariam.

Creditor, qui prior hypothecam accepit, sive possideat eam, et alius vindicet hypothecaria actione, exceptio priori utilis est, *si non mihi ante pignori hypothecæ nomine sit res obligata*: sive alio possidente, prior creditor vindicet hypothecaria actione, et ille excipiat *si non convenit, ut sibi res sit obligata*, hic in modum supra relatum replicabit: sed si cum alio possessore creditor secundus agat, recte agat, et adjudicari ei poterit hypotheca, ut tamen prior cum eo agendo, auferat ei rem. — § 1. Si, quoniam non restituebat²⁶ rem pigneratam possessori, condemnatus ex præfatis modis litis æstimationem exsolverit, an perinde secundo creditori teneatur, ac si soluta sit pecunia priori creditori, queritur? Et recte puto hoc admittendum esse. — § 2. Si primus, qui sine hypothecâ credidit, post secundum, qui utrumque fecit, [ipse] hypothecam accepit, sine dubio posterior in hypothecâ est. Unde si in diem²⁷ de hypothecâ convenit, dubium non est, quin potior sit: licet ante diem cum alio creditore pure de eadem re convenit. — § 3. Si idem bis²⁸ id est, ante secundum, et post eum crediderit, in priore pecunia potior est secundo, in posteriore tertius est. — § 4. Si tecum de hypothecâ paciscatur debitor, deinde [idem] cum alio tua voluntate²⁹; secundus potior erit: pecunia autem soluta secundo, an rursus teneatur tibi, recte queritur? Erit autem facti quæstio agitanda, quid inter eos actum sit: utrum³⁰ ad discendatur ab hypothecâ in totum, (cum) prior concessit [re-

16. L. 11, § 1, infr. eod. — 17. L. 10. C. de jure dot. — 18. L. 2, L. 4, L. 8, C. h. t. — L. 3, C. ut in possess. legat. — L. 2, C. de privileg. fisci. — 19. L. 30, supr. de reb. credit. — 20. L. 9, § 1, supr. h. t. — 21. L. 5, C. de lecat. — 22. L. 15, in pr. supr. de pignor. — 23. L. 3, in pr. supr. d. t. — 24. L. 1, C. h. t. — 25. L. 20, § 2, supr. de pignorat. act.; L. ult. C. de luit. pignor. — 26. L. 16, § 3; L. 21, § fin. supr. de pignorib. — 27. L. 11, § 1, supr. h. t. — 28. L. 20, infr. eod. — 29. L. 9, in fin. infr. quib. mod. pignus. — 30. *Immo vide* L. 2, C. de remis.

ditor] alii obligari hypothecam: an ut ordo servetur, et prior creditor secundo loco constituatur. — § 5. Papinianus lib. 11 respondit: Si prior creditor postea novatione³¹ facta eadem pignora cum aliis accepit, in suum locum eum succedere: sed si secundus non offerat pecuniam, posse priorem vendere, ut primam tantum pecuniam expensam ferat, non etiam quam postea credidit, et quod superfluum ex anteriore credito accepit, hoc secundo restituat. — § 6. Sciendum est, secundo creditori rem teneri etiam invito debitore tam in suum debitum, quam in primi creditoris³², et in usuras suas, et quas primo creditori solvit: sed tamen usurarum, quas creditori primo solvit, usuras non consequetur. Non enim negotium alterius gessit, sed³³ magis suum: et ita Papinianus lib. 3 Responsorum scripsit: et verum est. — § 7. Si simpliciter convenisset secundus creditor de hypothecâ, ab omni possessore eam auferre poterit, præter priorem creditorem, et qui ab eo³⁴ emit. — § 8. A Titio mutuatus, pactus est cum illo, *ut ei prædium suum pignori hypothecæ esset*: deinde mutuatus est pecuniam a Mævio, et pactus est cum eo, *ut, si Titio desierit prædium teneri, ei teneatur*: tertius deinde alicui dat mutuam pecuniam [tibi], *ut Titio solveres, et paciscitur [tecum], ut idem prædium ei pignori hypothecæ sit, et locum ejus subeat*: num hic medius tertio potior est, qui pactus est, ut Titio soluta pecunia, impleatur conditio, et tertius de sua negligentia queri debeat? Sed tamen et hic tertius creditor secundo preferendus est³⁵. — § 9. Si tertius creditor pignora sua distrabi permittit ad hoc, ut priori pecunia soluta, in aliud pignus priori succedat, successuram eum Papinianus lib. 11 Responsorum scripsit: Et omnino secundus creditor nihil aliud juris habet, nisi ut solvat priori, et loco ejus succedat. — § 10. Si priori hypothecâ obligata sit, nihil vero de venditione convenerit, posterior vero de hypothecâ vendenda convenerit: verius est priorem potiorum esse: nam [et] in pignore placet, si prior convenerit de pignore, licet posteriori res tradatur, adhuc potiorum esse priorem.

13. PAULUS, lib. 5, ad Plautium.

Insulam tibi vendidi, et dixi, *prioris anni pensionem mihi, sequentium tibi accessuram, pignorunquæ ab inquilino datorum jus utrumque secururum*: Nerva, Proculus, nisi ad utramque pensionem pignora sufficerent, jus omnium pignorum primum ad me pertinere: quia nihil aperte dictum esset, an communiter ex omnibus pignoribus summa prorata servetur: si quid superesset, ad te. *Paulus*. Facti quæstio est: sed verisimile est id actum, ut primam quamque pensionem pignorum causa sequatur.

14. Idem, lib. 14, ad Plautium.

Si non dominus duobus eandem rem diversis temporibus pigneraverit, prior potior³⁶ est: quamvis, si a diversis non dominis pignus accipiamus, possessor³⁷ melior sit.

15. Idem, lib. 68, ad Edictum.

Etiam superficies³⁸ in alieno solo posita, pignori dari potest: ita tamen, ut prior causa sit domini soli, si non solvatur ei solarium.

16. PAULUS, lib. 3 Questionum.

Claudius Felix eundem fundum tribus obligaverat, Euthychianæ primum, deinde Turboni, tertio loco alii creditori: cum Euthychiana de jure suo doceret, superata apud judicem a tertio creditore non provocaverat: Turbo apud alium [judicem] victus appellaverat: quærebatur, utrum tertius creditor etiam Turbonem superare deberet, qui primam creditricem; an, ea remota, Turbo tertium excluderet? Plane cum tertius creditor primum de sua pecunia dimisit, in³⁹ locum ejus substituitur in ea quantitate, quam superiori exsolvit: fuerunt igitur qui dicerent, hic quoque tertium creditorem potiorum esse debere: mihi nequam hoc justum esse videbatur. Pone, primam creditricem judicio convenisse tertium creditorem: et exceptione, aliove quo modo a tertio superatam: numquid adversus Turbonem, qui secundo loco crediderat, tertius creditor, qui primam vicit exceptione rei judicatae uti poterat? aut contra, si post primum iudicium, in quo prima creditrix superata est a tertio creditore, secundus creditor tertium obtinuerit, poterit uti exceptione rei judicatae adversus [primam] creditricem? Nullo modo, ut opinor. Igitur nec tertius creditor successit in ejus locum, quem exclusit: nec *inter*⁴⁰ alios res *judicatae alii prodesse, aut nocere solet*: sed sine⁴¹ præjudicio prioris sententiæ totum jus alii creditori integrum relinquitur.

pignor. — L. 12, in pr. infr. quib. mod. pignus. — 31. L. 3, in pr. supr. h. t. — 32. L. 23, C. de pignorib. — 33. L. 48, § 2, infr. ad SC. Trebellian. — 34. L. 2, infr. de cessione honor. — 35. Arg. L. 16, verò, plane cum infr. h. t. — 36. L. 9, § 4, supr. de Publician. in rem act. — 37. d. l. 9, § 4, in fin. — 38. L. 13, § 3, supr. de pignorib.; L. 16, in fin. supr. de pignorat. act. — 39. L. 12, § 8, in fin. supr. h. t. — 40. L. 1, infr. de except. rei judic. — 41. L. 2, in fin. C. quib. res judic. non nocet.

17. Idem, lib. 6 Responsorum.

[Eum] qui a debitore [suo] prædium obligatum comparavit, eatenus tuendum, quatenus ad priorem creditorem ex pretio pecunia pervenit.

18. SCEVOLA, lib. 4 Responsorum.

Lucius Titius pecuniam mutuam dedit sub usuris, acceptis pignoribus: eidemque debitori Mævius sub iisdem pignoribus pecuniam dedit: quæro, an Titius non tantum sortis, et earum usurarum nomine, quæ accesserunt, antequam Mævius crederet, sed etiam earum quæ postea accesserunt, potior esset? Respondit, Lucium Titium in omne, quod ei debetur, potiorum esse.

19. Idem, lib. 3 Responsorum.

Mulier in dotem dedit marito prædium pignori obligatum, et testamento maritum et liberos ex eo natos, item ex alio heredes instituit: creditor, cum posset heredes convenire idoneos, ad fundum⁴² venit: quæro, an, si ei justus⁴³ possessor offerat, compellendus sit jus nominis cedere? Respondi, posse videri non injustum postulare.

20. TRYPHONINUS, lib. 8 Disputationum.

Quærebatur, si⁴⁴ post primum contractum tuum, antequam aliam pecuniam tu crederes, eidem debitori Seius credidisset quinquaginta, et hyperocham hujus rei, quæ tibi pignori data esset, debitor obligasset, dehinc tu eidem debitori crederes forte quadraginta: quod plus est in pretio rei, quam primo credidisti, utrum ei ob quinquaginta, an tibi in quadraginta cederet pignoris hyperocha. Finge Seium paratum esse offerre tibi summam primo ordine creditam? Dixi, consequens esse, ut Seius potior sit in eo, quod amplius est in pignore: et oblata ab eo summa primo ordine credita, usurarumque ejus, postponatur primus creditor in summam, quam postea eidem debitori credidit.

21. SCEVOLA, lib. 27 Digestorum.

Titius Seia ob summam, qua ex tutela ei condemnatus erat, obligavit pignori omnia bona sua, quæ habebat, quæque habiturus esset: postea mutuatus a fisco pecuniam, pignori ei res suas omnes obligavit, et intulit Seia partem debiti, et reliquam summam novatione facta eidem promisit, in qua obligatione similiter, ut supra, de pignore convenit: quæsitum est, an Seia præferenda sit fisco et in illis rebus, quas Titius tempore prioris obligationis habuit: item in his rebus, quas post priorem obligationem adquisiit, donec universum debitum suum consequatur? Respondit, nihil proponi, cur non⁴⁵ sit præferenda. — § 1. Negotiatori marmorum creditor sub pignore lapidum, quorum pretia venditores ex pecunia creditoris acceptant, numeravit: idem debitor conductor horreorum Cæsaris fuit; ob quorum pensiones aliquot annis non solutas, procurator exactioni præpositus, ad lapidum venditionem officium suum extendit: quæsitum est, an jure pignoris eos creditor retinere possit? Respondit, secundum ea, quæ proponerentur, posse.

TIT. V.

DE DISTRACTIONE PIGNORUM, ET HYPOTHECARUM.

1. PAPINIANUS, lib. 26 Questionum.

Creditor, qui prædia pignori accepit, et, post alium creditorem qui pignorum conventionem ad bona debitoris contulit, ipse quoque simile pactum bonorum ob alium aut eundem contractum interposuit, ante secundum creditorem dimissum, nullo jure cætera bona titulo pignoris vendidit: sed ob eam rem in personam actio contra eum creditori, qui pignora sua requirit, non competit; nec utilis danda est; nec furti rerum² mobilium gratia recte convenietur: quia propriam causam, ordinis errore ductus, persecutus videtur: præsertim cum alter creditor furto possessionem³, quæ non fuit apud eum, non amiserit; ad exhibendum quoque frustra litem excipiet: quia neque possidet, neque dolo fecit, ut desineret possidere. Sequitur, ut secundus creditor possessores interpellare debeat.

2. Idem, lib. 2 Responsorum.

Fidejussor conventus, officio judicis adsecutus est, ut emptionis titulo prædium creditori pignori datum susciperet: nihilominus alteri creditori, qui postea sub eodem pignore contraxit, offerenda pecunia: quam fide-

42. *Vide tomen* N. 4, c. 2. — 43. *Immo vide* L. 12, in fin. infr. quib. mod. pign. — 44. L. 12, § 3, supr. h. t. — 45. *Obst.* L. 28, infr. de jure fisci. — Tit. V. — 1. Lib. 8, C. 28. — 2. L. 17, in fin. supr. de preser. verb. — 3. L. 1, in fin. infr. de furt. — 4. L. 1, C. si antiquior creditor. — 5. L. 12, § 1, infr. quib. mod. pign. — 6. L. 12, § 6, supr. qui potior in pignor. — 7. L. 1, C. de dolo malo. — 8. *Immo vide* L. 59, infr. de fidejussor. — 9. L. 15, in pr. supr. de pignorat. act. — 10. L. 1, C. si advers. vendit. pignor. — L.

jussor dependit, cum usuris medii temporis, facultas erit: nam hujusmodi venditio transferendi pignoris causa, necessitate juris fieri solet.

3. Idem, lib. 3 Responsorum.

Cum prior creditor pignus jure conventionis vendidit, secundo creditori non⁴ superesse jus offerendæ pecuniæ, convenit. — § 1. Si tamen debitor, non interveniente creditore, pignus vendiderit, ejusque pretium priori creditori solverit, emptori poterit offerri, quod ad alium creditorem de nummis ejus pervenit, et usuræ medii temporis: nihil enim interest, debitor pignus datum vendidit, an denuo pignori obliget.

4. Idem, lib. 14 Responsorum.

Cum solvendæ pecuniæ dies pacto profertur, convenisse videtur, ne prius vendendi pignoris potestas exerceatur.

5. MARCIANUS, lib. singulari, ad Formulam hypothecariam.

Cum secundus creditor, oblata⁵ pecunia, in⁶ locum ejus successerit, venditionem, ob pecuniam solutam et creditam, recte facit. — § 1. Si secundus creditor, vel fidejussor, soluta pecunia, pignora susceperint, recte eis⁷ offertur, quamvis emptionis⁸ titulo ea tenerunt.

6. MODESTINUS, lib. 8 Regularum.

Cum posterior creditor a priore pignus emit, non tam acquirendi dominii, quam servandi pignoris sui causa intelligitur pecuniam dedisse et ideo offerri ei a debitore potest.

7. MARCIANUS, lib. singulari, ad Formulam hypothecariam.

Si creditor pignus, vel hypothecam vendiderit hoc pacto⁹, *ut liceat sibi reddere pecuniam, et pignus recipere*: an, si paratus sit debitor reddere pecuniam, consequi id possit? Et Julianus lib. 11 Digestorum scribit, recte quidem distractum esse pignus; cæterum agi posse cum creditore, ut si quas actiones habeat, eas cedat debitori: sed quod Julianus scribit in pignore, idem et circa hypothecam est. — § 1. Illud inspicendum est, an liceat debitori, si hypotheca venierit, pecunia soluta eam recipere? Et si quidem ita venierit, *ut, si intra certum tempus a debitor pecunia soluta fuerit, emptio rescindatur*, intra illud tempus pecunia soluta recipit hypothecam: si vero tempus præterit, aut si non eo pacto res venierit, non potest rescindi venditio, nisi minor¹⁰ sit annis vigintiquinque debitor, aut pupillus, aut reipublicæ¹¹ causa absens, vel in aliqua earum causarum [erit], ex quibus edicto¹² succurritur. — § 2. Queritur, si pactum sit a creditore, *ne liceat debitori hypothecam vendere, vel pignus*, quid juris sit: et an pactio nulla sit talis, quasi contra jus sit posita: ideoque veniri possit? Et certum est, nullam esse venditionem, ut pactio¹³ stetur.

8. MODESTINUS, lib. 4 Regularum.

Creditoris arbitrio permittitur, ex pignoribus sibi obligatis, quibus velit distractis, ad suum commodum pervenire.

9. PAULUS, lib. 3 Questionum.

Quæsitum est, si creditor ab emptore pignoris pretium servare non potuisset, an debitor liberatus esset? *Putavi*, si nulla culpa imputari creditori possit, manere debitorem obligatum: quia ex necessitate facta venditio non liberat debitorem, nisi¹⁴ pecunia percepta. — § 1. Pomponius autem Lætionum lib. 2 ita scripsit: quod in pignoribus dandis *adjudici solet, ut, quominus pignus venisset, reliquum¹⁵ debitor redderet, supervacuam¹⁶ est*: quia ipso jure ita se res habet, etiam non adjecto eo.

10. Idem, lib. 6 Responsorum.

Et si is, qui lege pignoris emit, ob evictionem¹⁷ rei redire ad venditorem non potest: tamen non¹⁸ esse audiendum creditorem, qui fundum vendidit, si velit ejusdem rei ex alia causa questionem movere.

11. SCEVOLA, lib. 4 Responsorum.

Arbiter dividendæ¹⁹ hereditatis, cum corpora hereditaria divisisset, nomina quoque communium debitorum separatim singulis in solidum assignavit: quæsitum est, an debitoribus cessantibus, pro solido pignus vendere quisque potest? Respondi, posse.

12. TRYPHONINUS, lib. 8 Disputationum.

Rescriptum est ab imperatore, libellos agente Papiniano, creditorem a²⁰ debitor pignus emere posse: quia in dominio²¹ manet debitoris. — § 1. Si aliena res pignori data fuerit, et creditor eam vendiderit: vide-

9. in pr. supr. de minor. — 11. *Adde* L. 4, L. 6, C. de restit. milit. — 12. L. 1, § 1, supr. ex quib. caus. major. — 13. *Vide tamen* L. pen. supr. de pact. — 14. L. 26, infr. de solution. — 15. L. 3, C. h. t. — 16. *Adde* L. 3, in fin. C. de fidejuss.; et L. 28, supr. de reb. cred. — 17. L. 11, § 16, supr. de act. empt. — 18. L. 17, infr. de evict. — 19. L. ult. infr. h. t. — 20. L. 9, in pr. infr. quib. mod. pignus. — 21. L. 9, C. de pignorat. act.

mus, an pretium, quod percepit creditor, liberet debitorem personali actione pecuniæ creditæ? Quod vere responderetur, si ea lege vendidit, *ne evictionis nomine obligaretur*: quia ex contractu, [et] quali quali obligatione a debitore interposita, certe ex occasione ejus redactum id pretium æquius proficeret debitori, quam creditoris lucro cederet: sed quantum quidem ad creditorem, debitor liberatur: quantum vero ad dominum rei, si necdum pignus evictum est, vel ad emptorem, post evictionem, ipsi debitor utili actione tenetur, ne ex aliena²², jactura sibi lucrum adquirat: nam [et] si majores fructus forte petens a possessore creditor abstulit, universos²³ in quantitatem debitam accepto ferre debet: et cum per injuriam judicis domino rem, quæ debitoris non fuisset, abstulisset creditor, quasi obligatam sibi, et quæreret, an, soluto debito, restitui eam oporteret debitori? Scævola noster restituendam probavit. Quod si non ita vendidit, ut certum sit omnimodo apud eum pretium remansurum, verum obligatus est ad id restituendum: arbitrator interim quidem nihil a debitore peti posse, sed in suspensio haberi liberationem: verum, si actione ex empto conventus præstitisset creditor emptori, debitum persequi eum a debitore posse: quia apparuit non esse liberatum.

13. PAULUS, lib. 1. De rectorum.

Creditor, qui jure suo pignus distrahit, jus suum cedere²⁴ debet: et, si pignus possidet, tradere utique [debet] possessionem.

14. SCÆVOLA, lib. 6. Digestorum.

Arbitri²⁵ dividenda hereditatis, inter heredes, cum corpora hereditaria divisissent, nomina quoque communium debitorum separatim diversa singulis in solidum adsignaverunt: quæsitum est, an unusquisque eorum, debitore sibi addicto cessante in solutione, pro solvendo pignus sub eo nomine obligatum vendere possit? Respondit, potuisse.

TIT. VI.

QUIBUS MODIS PIGNUS, VEL HYPOTHECA SOLVITUR.

1. PAPIANUS, lib. 11. Responsorum.

Debitoris absentis amicus negotia gessit et pignora citra emptionem pecunia sua liberavit: jus pristinum domino restitutum videtur. Igitur qui negotium gessit, utilem Servianam dari sibi non recte desiderabit: si tamen possideat, exceptione doli defenditur. — § 1. Cum venditor, numerata sibi parte pretii, prædium quod venierat, pignori accepisset, ac postea residuum pretium emptori, litteris ad eum missis, donasset; eoque defuncto, donationem quibusdam modis inutilem esse constabat: jure pignoris fiscum frustra¹ petere prædium, qui successerat in locum venditoris, apparuit: cujus [pignoris] solum esse pactum prima voluntate donationis constabat; quoniam inutilem pecuniæ donationem lex facit, cui non est locus in pignore liberando. — § 2. Defensor absentis cautionem judicatum solvi præstitit. In dominum a judicio postea translato, fidejussores ob rem judicatam, quos defensor dedit, non tenebuntur, nec pignora quæ dederunt.

2. GAIVS, lib. 9, ad Edictum provinciale.

Si creditor Serviana actione pignus a possessore petierit, et possessor litis æstimationem obtulerit, et ab eo debitor rem vindicet, non aliter hoc facere concedetur, nisi prius ei debitum offerat.

3. ULPIANUS, lib. 8. Disputationum.

Si res distracta fuerit sic, nisi intra certum diem meliorem conditionem invenisset, fueritque tradita, et forte emptor, antequam melior conditio offerretur, hanc rem pignori dedisset, Marcellus lib. 8. Digestorum ait, finiri² pignus, si melior conditio fuerit allata: quanquam ubi sic res distracta est, nisi emptori displicuisset, pignus finiri non putet.

4. Idem, lib. 73, ad Edictum.

Si debitor, cujus res pignori obligatæ erant, servum quem emerat, redhibuerit, an desinat Servianæ locus esse? Et magis est, ne³ desinat: nisi ex voluntate creditoris hoc factum est. — § 1. Si in venditione pignoris consenserit⁴ creditor, vel, ut debitor hanc rem permutet, vel donet, vel in dotem det, dicendum erit, pignus liberari: nisi salva causa pignoris sui consensit [vel venditioni, vel cæteris:] nam solent multi salva

22. L. 14, supr. de condit. indeb.; L. 206, infr. de reg. jur. — 23. L. 1, l. 2, C. de pignorat. act.; L. ult. C. de partu pignoris. — 24. L. 28, infr. de evict. — 25. L. 11, supr. h. t. Tit. VI. — 1. Immo vide L. 5, C. de remis. pignor. — 2. L. 4, § 3, supr. de in drem ad. dict. — 3. L. 43, § 3, infr. de edil. edict. — 4. L. 7, in pr.; L. 9, in fin.; L. 11, in fin.; L. 2, in pr. infr. h. t. l. 28, infr. de reg. jur.; L. 4, C. de remis. pignor. — 5. L. 9, § 3, vers. oct. — 7. L. 4, supr. tit. prox. — 8. L. 14, infr. h. t. — 9. L. 76, in fin. infr. de solution. — 10. L. 18, infr. h. t. — 11. L. 11, § 3, § 4, supr. de pignorat. act.; L. 11, § 1; L. 13, § 2; L. 16, § 3, supr. de pignorb.; L. 19, circa fin. C. de usur.; L. ult. C. de luit. pignor. — 42. L. 23, § 4, supr. de pignorb.; L. 9, § 3, supr. de pignorat. act.; L. 52, infr. de solution. — 43. L. 20, C. de pignorb.; L. 10, supr. de pignorat. act.; L. 9, C. de pignorb. — 44. L. 52, infr. de solution. — 45. L. 4, § 1, supr. h. t. — 46. L. 23, in pr. supr. de pact. — 47. L. 49, infr. de solution. — 48. Arg. L. 28, § ult. vers. quod et ipsum supr. de pact.; et L. 65, supr. de procur. — 49. L. 10, § ult. supr. de pact. — 20. L. 17, in fin.; L. 18, L. 19, supr. d. t. — 21. L. 6, § 8, supr. commun. divid. — 22. L. 15, in fin. supr. de pact.

causa pignoris sui consentire. Sed et si ipse vendiderit creditor, sic tamen venditionem fecit, ne discederet a pignore, nisi ei satisfiat, dicendum erit, exceptionem ei non nocere. Sed et si non concesserat pignus venditari, sed ratam habuit venditionem, idem erit probandum. — § 2. Belle quæritur, si forte venditio rei specialiter obligatæ non valeat, an nocere hæc res creditori debeat quod consensit: utputa si qua ratio juris venditionem impediat? Dicendum est, pignus valere.

5. MARCIANUS, lib. singul. ad Formulam hypothecariam.

Solvitur hypotheca, et si ab ea discedatur⁵, aut paciscatur creditor, ne⁶ pecuniam petat: nisi [si] quis dicat pactum interpositum esse, ut a persona non petatur: et quid si hoc actum sit, cum forte alius hypothecam possidebit? Sed cum pactum conventum exceptionem perpetuam pariat, eadem [et] in hoc casu possunt dici, ut et ab hypotheca discedatur. — § 1. Si paciscatur creditor, ne intra annum pecuniam petat, intelligitur⁷ de hypotheca quoque idem pactus esse. — § 2. Si convenierit, ut pro hypotheca fidejussor⁸ daretur, et datus sit: satisfactum videbitur, ut hypotheca liberetur. Aliud est, si jus obligationis vendiderit creditor, et pecuniam acceperit: tunc enim manent omnes obligationes integre, quia preti⁹ loco id accipitur, non solutionis nomine. — § 3. Satisfactum [esse] creditori intelligitur, et si jurjurandum¹⁰ delatum datum est, hypotheca non esse rem obligatam.

6. ULPIANUS, lib. 73, ad Edictum.

Item liberatur pignus, sive solum¹¹ est debitum, sive eo nomine satisfactum¹² [est.] Sed et si tempore finitum pignus est, idem dicere debemus. Vel si qua ratione obligatio ejus finita est. — § 1. Qui paratus¹³ est solvere, merito pignus videtur liberasse. Qui vero non solvere, sed satisfacere paratus est, in diversa causa est. Ergo satisfecisse¹⁴ prodest: quia sibi imputare debet creditor, qui satisfactionem admisit vice solutionis: at qui non admittit satisfactionem, sed solutionem desiderat, culpandus non est. — § 2. In satisfactione autem non utimur Attilicini sententia, qui putabat, si satisdatur alicui certæ pecuniæ, recedere eum a pignoribus debere.

7. GAIVS, lib. singul. ad Formulam hypothecariam.

Si consensit¹⁵ venditioni creditor, liberatur hypotheca: sed in his pupilli consensus non debet aliter ratus haberi¹⁶, quam si præsentem tutore [auctore] consenserit, aut etiam ipse tutor: scilicet si commodum aliquid, vel satis ei fieri ex eo iudex æstimaverit. — § 1. Videbimus, si procurator omnium bonorum consensit, vel servus actor, cui et solvi¹⁷ potest, et in id positus est: an teneat consensus eorum? Et dicendum est non¹⁸ posse: nisi specialiter hoc eis mandatum est. — § 2. Sed si cum debitor procuratore convenit, ne sit res obligata, dicendum est, id debitori per doli¹⁹ exceptionem prodesse. Cum autem cum servo ejus convenierit, per ipsam pacti conventi exceptionem debet²⁰. — § 3. Si convenit de parte pro indiviso alienanda, si certa res est, quæ venit, potest dici, de reliqua parte ab initio agi oportere, nec obstat exceptio. — § 4. Illud tenendum est, si quis communis rei partem pro indiviso dedit hypothecæ, divisio facta cum socio, non²¹ utique eam partem creditori obligatam esse, quæ ei obtingit, qui pignori dedit, sed utriusque pars pro indiviso pro parte dimidia manebit obligata.

8. MARCIANUS, lib. singul. ad Formulam hypothecariam.

Sicut re corporali extincta ita et usufructu extincto, pignus hypothecæ perit. — § 1. Creditor, ne pignori hypothecæ sit res, pacisci potest: et ideo si heredi pactus fuerit, ei quoque proderit pactum, cui restituit hereditatem ex senatusconsulto Trebelliano. — § 2. Si procurator debitoris in rem suam²² sit, non puto dubitari debere, quin pactum noceat creditori. Itemque si a parte creditoris procurator in rem suam extiterit, paciscendo inutilem sibi faciet hypothecariam actionem: in tantum, ut putem recte dici, et dominis litis hoc casu nocere hanc exceptionem. — § 3. Si convenierit, ne pars dimidia pro indiviso pignori sit, quæcumque fundi ejus pars a quolibet possessore petatur, dimidia non recte petetur. — § 4. Si plures dederint pro indiviso, et cum uno creditor paciscatur, ne hypothecæ sit, deinde ab eo petat, etiam si hic, cum quo pactus est, solidum fundum possideat pro indiviso: quia de parte convenisset, non repellit eum a toto. — § 5. An pacisci possunt filiusfamilias, et servus, ne res pignori sit, quam peculiariter hypothecæ

16, § 3, supr. de pignorb.; L. 19, circa fin. C. de usur.; L. ult. C. de luit. pignor. — 42. L. 23, § 4, supr. de pignorb.; L. 9, § 3, supr. de pignorat. act.; L. 52, infr. de solution. — 43. L. 20, C. de pignorb.; L. 10, supr. de pignorat. act.; L. 9, C. de pignorb. — 44. L. 52, infr. de solution. — 45. L. 4, § 1, supr. h. t. — 46. L. 23, in pr. supr. de pact. — 47. L. 49, infr. de solution. — 48. Arg. L. 28, § ult. vers. quod et ipsum supr. de pact.; et L. 65, supr. de procur. — 49. L. 10, § ult. supr. de pact. — 20. L. 17, in fin.; L. 18, L. 19, supr. d. t. — 21. L. 6, § 8, supr. commun. divid. — 22. L. 15, in fin. supr. de pact.

compererint, et habent liberam administrationem, videamus: an quemadmodum donare²³ non possunt, ita nec pacisci, ne pignori sit, possint? Sed dicendum est, ut concedere possint: scilicet si pretium pro pactione accipiant: quasi vendant. — § 6. Si voluntate²⁴ creditoris fundus alienatus est, inverecunde applicari sibi eum creditor desiderat: si tamen effectus sit secutus venditionis: nam si non venierit, non est satis ad repellendum creditorem, quod voluit venire. — § 7. Supervacuum est quærere, agrum specialiter hypothecæ datum, permissu creditoris venisse, si ipse debitor re possideat: nisi quod potest fieri, ut debitor permissu creditoris vendiderit, deinde postea bona fide redemerit ab eodem, vel ab alio, ad quem per successionem ea res pertinere cõpisset; aut si ipse debitor emptori heres extiterit. Verumtamen, cum pecunia soluta non sit, doli mali suspicio inerat, translata ad præsens tempus, ut possit²⁵ creditor replicationem doli mali objicere. — § 8. Illud videamus, si Titius debitor voluntate creditoris sui vendiderit Mævio, vel ei a quo Mævius emerit, et postea Mævius Titio heres extiterit, et creditor ab eo petat, quid juris sit. Sed iniquum est auferri ei rem a creditore, qui non successione jure, sed alio modo rem nactus est: potest tamen dici, cum Titii doli in re versaretur, ne creditor a possessore pecuniam recipiat, iniquissimum esse, ludificari eum. — § 9. Quod si is fundus a Mævio alicui obligatus possideatur, cui nondum satisfactum erit, tunc rursus æquum erit excipi, si non voluntate creditoris veniit: licet enim doli malus debitoris interveniat qui non solvit, tamen secundus creditor qui pignori accepit, potior est. — § 10. Tutius tamen est, si debitor a creditore petat, ut ei permittat pignus vendere, quo magis satisfaciatur, ante cautionem²⁶ accipere ab eo qui rem empturus erit, ut pretium rei vendita usque ad summam debiti creditori solvatur. — § 11. Venditionis autem appellacionem generaliter²⁷ accipere debemus, ut et si legare permisit, valeat quod concessit: quod ita intelligemus, ut et si legatum repudiatum fuerit, convalescat²⁸ pignus. — § 12. Si debitor vendiderit rem, nec tradiderit, annon repellatur creditor, quasi adhuc res in bonis sit debitoris: an vero cum teneatur ex empto, pignus extingatur? Quod et magis est. Sed quid, si pretium venditor consecutus non sit, nec paratus sit emptor dare? Tantumdem potest dici. — § 13. Sed si permiserit creditor vendere, debitor vero donaverit, an exceptione illum summoveat? An facti sit magis quæstio, nunquid ideo veniri voluit, ut pretio accepto, ipsi quoque res expediat? Quo casu non nocebit consensus. Quod si in dotem dederit, vendidisse²⁹ in hoc casu recte videtur, propter onera matrimonii. In contrarium, si concessit donare, et vendiderit debitor, repellatur creditor. Nisi si quis dicat, ideo concessisse donari, quod amicus erat creditori is cui donabatur. — § 14. Quod si concesserit decem vendere, ille quinque vendiderit, dicendum est, non esse repellendum creditorem. In contrarium non erit querendum quin recte vendit, si pluris vendiderit, quam concessit creditor. — § 15. Non³⁰ videtur autem consensisse creditor, si sciente eo debitor rem vendiderit, cum ideo passus est venire, quod sciebat ubique pignus [sibi] durare: sed si subscripserit³¹ forte in tabulis emptionis, consensisse videtur: nisi manifeste appareat deceptum esse. Quod observari oportet et si sine scriptis consenserit. — § 16. Si debitori concessum sit, et heres ejus vendiderit, potest facti quæstio esse, quid intellexit creditor? Sed recte venisse dicendum est: hæc enim subtilitates ab iudicibus non admittuntur. — § 17. Si debitor forte concessa venditione desierit possidere, et novus possessor vendiderit, an duret pignus, quasi persona permiserit creditor? Quod et magis est: nam si novo possessori, non debitori, a quo hypothecam accepit, concessit creditor vendere, dicendum est, nocere ei exceptionem. — § 18. Sed si intra annum, aut biennium consenserit creditor vendere, post hoc tempus vendendo, non auferit litis creditoris. — § 19. Si creditor hypothecaria usus, a possessore litis æstimationem consecutus fuerit, et a debitore petat debitum, puto doli mali exceptionem ei obstaturam.

9. MODESTINUS, lib. 4. Responsorum.

Titius Sempronio fundum pignori dedit: et eundem [fundum] postea Gaio Seio pignori dedit: atque ita idem Titius Sempronio³² et Gaio Seio fundum eundem in assem vendidit, quibus pignori ante dederat in solidum singulis. Quæro, an, venditione interposita jus pignoris extinctum sit: ac per hoc jus solem emptionis apud ambos permanserit? Modestinus respondit, dominium ad eos de quibus quæritur emptionis jure

23. L. 1, § 1, supr. quæ res pignori; L. 3, § 8, in fin. infr. de donat. inter vir. et uxori; L. 7, in pr. infr. de donat. — 24. L. 158, infr. de reg. jur. — 25. Immo vide L. ult. C. de remis. pignor. — 26. Adde L. 6, in pr. supr. de pignorat. act. — 27. Adde L. 29, in fin. infr. de statulib. — 28. Fac. § 6, 7, 8, h. t. — 29. L. 19, infr. de oblig. et act. — 30. Immo vide L. 5, C. de remis. pign. — 31. L. 9, in fin. infr. h. t. — 32. L. 12, in pr. supr. de distract. pign. — 33. L. 5, § 15, supr. h. t. — 34. L. 8, § 7, supr. eod.; immo vide L. ult. C. de remis.

pertinere: cum consensum mutuo venditioni dedisse proponantur, invicem pignoratitiam actionem eos non habere. — § 1. Titius Seio pecuniam sub pignore fundi dederat, qui fundus cum esset reipublice ante obligatus, secundus creditor pecuniam reipublice [eam] solvit: sed Mævius exstitit, qui dicebat, ante rempublicam sibi fundum obligatum fuisse: inveniebatur autem Mævius, instrumento cautionis cum republica facto a Seio, interfuisse, et subscripsisse: quo caverat Seius fundum nulli alii esse obligatum. Quæro, an actio aliqua in rem Mævio competere potest? Modestinus respondit, pignus, cui is de quo quæritur consensit³³, minime eum retinere posse.

10. PAULUS, lib. 3. Questionum.

Voluntate creditoris pignus debitor vendidit: et postea placuit inter eum et emptorem, ut a venditione discederent. Jus pignorum salvum erit creditori: nam sicut debitori, ita et creditori pristinum³⁴ jus restituitur: neque omnimodo creditor pignus remittit, sed ita demum, si emptor rem retineat, nec reddat venditori: et ideo si iudicio quoque accepto venditor absolutus sit, vel, quia non tradebat, in id quod interest condemnatus, salvum fore pignus creditori dicendum est: hæc enim accideret potuissent, etiamsi non voluntate creditoris vendidisset. — § 1. Creditor quoque si pignus distraxit, et ex venditione recessum fuerit, vel homo redhibitus³⁵, dominium ad debitorem revertitur. Idemque est in omnibus, quibus concessum est rem alienam vendere: non enim, quia dominium transferunt, ideo ab emptore jus [ejus] recipiunt, sed in pristinam causam res redit, resoluta venditione.

11. Idem, lib. 4. Responsorum.

Lucius Titius cum esset uxori suæ Gaia Seia debitor sub pignore, sive hypotheca prædiorum, eadem prædia cum uxore sua, [Seia] Septitiæ communis filia nomine, Sempronio marito ejus futuro in dotem dedit: postea, defuncto Lucio Titio, Septitia filia abstulit [se] hereditate paternâ. Quæro, an mater ejus hypothecam persequi possit? Paulus respondit, pignoris quidem obligationem prædiorum Gaiam Seiam, quæ viro pro filia communi in dotem eadem danti consensit³⁶, cum communis filia nomine darentur, remisisse videri, obligationem autem personalem perseverasse: sed adversus eam, quæ patris³⁷ hereditate se abstulit, actionem non esse dandam.

12. Idem, lib. 5. Responsorum.

Paulus respondit, Sempronium antiquiorem creditorem consentientem, cum debitor eandem rem tertio creditori obligaret, jus suum pignoris remisisse videri, non etiam tertium in locum ejus successisse: et ideo mediæ creditoris meliorem causam effectam. Idem observandum [est] et si respublica tertio loco crederit. — § 1. Qui pignoris jure rem persequuntur, a vindicatione rei eos removeri solere, si qualiscunque possessor offerre³⁸ vellet: neque enim debet quæri de jure possessoris, cum jus petitoris removeatur, soluto pignore.

13. TRYPHONINUS, lib. 8. Disputationum.

Si deferente³⁹ creditore juravit debitor, se dare non oportere, pignus liberatur: quia perinde habetur, atque si iudicio⁴⁰ absolutus esset: nam et si a iudice, quamvis per injuriam, absolutus sit debitor, tamen pignus liberatur.

14. LABEO, lib. 5. posteriorum a Javoleno Epitomatorum.

Cum colono tibi convenit, ut invecata importata pignori essent, donec merces tibi soluta, aut satisfactum esset: deinde mercedis nomine fidejussorem⁴¹ a colono accepisti. Satisfactum tibi videri existimo: et ideo illata pignori esse desisse.

15. SCÆVOLA, lib. 6. Digestorum.

Primi creditoris, qui pignori prædia acceperat, et posterioris, cui quidam ex iisdem fundis dati erant, ad eandem personam hereditas devenerat: debitor offereret quantum a posteriore creditore mutatus fuerat: respondit, cogendum⁴² accipere salvo jure pignoris prioris contractus.

pign. — 35. L. 60, infr. de edil. edict. — 36. L. 4, § 2, supr. h. t. — 37. L. 2, C. de revocant. lit. quæ in fraud. cred. — 38. L. 16, § 3, supr. de pignorb.; L. 19, supr. qui possit. In pign. l. 5, supr. de distract. pignor. — 39. L. 5, in fin. supr. h. t.; L. 40, supr. de jurjur. — 40. L. 2, supr. d. t. — 41. L. 5, § 2, supr. h. t.; L. 9, § 3, supr. de pignorat. act. — 42. L. 21, supr. de reb. cred.